

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Rudolphi Goclenii Exercitationes et disputationes ethicae
& politicae**

Goclenius, Rudolph

Marpurgi Cattorum, 1601

CIX. An liceat quasdam leges non sine ratione in republ. latas fancitasq,
interdum abrogare?

[urn:nbn:de:bsz:31-109121](#)

490 Q U E S T I O N E S

vè: sed non cuivis, sed his quorum intet est,
id est, qui in officio sunt (ut sunt *magistrorum*
& *Oeconomi magistri*) et si vel vera di-
cendo parum aut nihil proficiatur (eventus
enim Deo committendus: Eventum com-
mitte Deo, & fac consona recto) sed exasper-
rentur magis homines. Ad summam: Nor-
ma dicendi non debent esse affectus sensu-
que hominum, sed veritas, honestas & necel-
litas. Non est oratio attemperanda audien-
tium affectibus.

P R O B L E M A C I X.

*An licet quasdam leges non sine ratione in Republ.
icata sanctitasq; interdum abrogare?*

Affirmatur.

D I C I T U R, ejusdem esse abrogare legem
qui cōdidit. Et pro certo habetur, licet
quasdam leges civitatis abrogare inter-
dum, præsertim si Republicæ aut præsentि
statu ejus incommodare videntur. Dicas
fortasse, huic sententiæ non subscribo, mo-
tus his rationibus: 1. Sancta nemo debet vi-
olare. Leges sunt sanctæ, quæ sententia juris
est: non igitur sunt violandæ, & ex conse-
quenti non sunt tollendæ. 2. Periculose
mutationes in Republica sunt vitandæ. Le-
gum abrogatio parit mutationem periculo-
ram in Republica: Ergo est vitanda. 3. Etiam

Object.

Iam mala benè posita non sunt movenda, ut
à Græcis dicitur. Ergo neque leges incom-
modas ~~abey~~ seu abrogare licet. 4. Quod
consuetudine fit plurimorum consentien-
tium, jure approbat. Sed pleræque natio-
nes & politiæ omnes utuntur quibusdam
legibus & moribus receptis, veterumque in-
stitutis, quorum manifesta est incommodi-
tas, penè dixissim absurditas. Ergo incom-
modi etiam ac vix tolerabiles mores seu le-
ges servandæ sunt. 5. Legum correctio est
evitanda, *C. de appellat. I. principiis.* Ergo
multò minus suadenda est carum abroga-
tio. Hæc ergo sunt argumenta in partem
negantem. Sed solutiones eorum tenen-
dæ sunt. De primo : Respondeo ad majo-
rem, quæ sententiam juris continet, sum-
ptam ex *C. de legibus, I. leges sacratissime.* Le-
ges sunt sanctæ, scilicet in vero ac ad felici-
tatem comparato usu. Est autem legum
verus usus, ut Reipublicæ salutem conser-
vent. Lex salus populi esto : Cicero. De
secundo : Respondeo ad minorem. Le-
gum abrogatio est pericolosa, si scilicet le-
ges istæ Reipublicæ sint utiles, non per-
niciose. Addo etiam, cuncte abrogandos
esse malos mores, quos temporis diutu-
nitas confirmavit, quique hominum ani-
mis penitus insederunt. De tertio : Respon-
do.

deo ad antecedens, quod continet consilium, monens, non temerè esse aliquid mutandum, sed præsentia etiam cum aliqua molestia & incommodo ferenda esse. Verum ubi evidens utilitas mutationis elucet, mutatio instituenda est. De quarto: Resp. ad majorem. Quod consuetudine sit honesta, & legibus approbata, approbandum est. Major igitur non nisi determinatè vera est. De quinto: Respondeo ad antecedens: Legum correctio est evitanda, scilicet temeraria, nulla necessitate probabili susceptra: præterea sententia antecedentis de correctione legum communium seu Imperialium principaliter intelligenda est.

PROBLEMA CX.

An honestum sit facere velle hosti, que ipse data occasione adversus nos faceret?

Affirmatur.

TU R P E est ea non facere velle hosti, que ipse data occasione contra nos faceret. Hæc sententia est Demosthenæ in Olynth. Verum impia hæc fortasse cuiquam videatur, qui objeccerit sic: Nulla sententia pugnans cum Christiana religione, est recipienda. Hæc sententia talis est: Ergo non est recipienda. Assumptio probatur. Christiana religio jubet diligere inimicos, & persecutores. Ita